



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Geschichte der geistlichen Stiftungen, der adlichen Familien, so wie der Städte und Burgen der Mark Brandenburg**

[Urkunden-Sammlung für die Orts- und spezielle Landesgeschichte]

**Riedel, Adolph Friedrich**

**Berlin, 1847**

CDLIX. Papst Nicolaus bevollmächtigt den Bischof von Lebus auf Antrag des Kurfürsten Friedrich aus den Domcapiteln zu Brandenburg und Havelberg die Prämonstratenser-Mönche zu entfernen und diese ...

[urn:nbn:de:hbz:466:1-54048](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-54048)

huiusmodi ieiunium supplere. Et si forte alias prelibatum ieiunium in toto vel in parte adimplere commode nequiveris eo casu confessor idoneus, quem ad hoc elegeris ieiunium ipsum in alia pietatis opera commutare valeat, prout anime tue saluti viderit expedire, que tu pari modo adimplere tenearis. Alioquin presens nostra concessio nullius sit roboris vel momenti. Nulli ergo etc. Datum Rome apud sanctum Petrum, anno etc. Millesimo quadringentesimo quadragesimo septimo, nono Kalendis Decembris, Pontificatus nostri Anno primo.

Nach einer Abschrift aus dem Vatikanischen Geh. Archive Nic. V. Anni I, p. 27 P. IV.

**CDLIX.** Paps Nicolaus bevollmächtigt den Bischof von Lubus auf Antrag des Kurfürsten Friedrich aus den Domcapiteln zu Brandenburg und Havelberg die Prämonstratenser-Mönche zu entfernen und diese Stifte mit Weltgeistlichen zu besetzen, am 5. Febr. 1448.

Nicolaus V. Venerabili fratri Episcopo Lubucensi salutem etc. — pro parte dilecti filii nobilis Viri Frederici Marchionis Brandenburgensis, Sacri Imperii Archicamerarii, nobis nuper exhibita continebat petitio, quod Brandenburgensi et Avelbergensi ecclesiis Premonstratensis ordinis pro eo, quod illarum persone sub ipsius ordinis regulari observantia non vivunt et ex certis aliis causis, tam pro divini cultus augmento in eisdem, quam etiam pro salute animarum Cristifidelium in Brandenburgensi et Avelbergensi Civitatibus commorantium plurimum expediret, quod in ipsis ecclesiis ordo huiusmodi extingueretur penitus et supprimeretur, nec non persone ecclesiastice seculares videlicet Capitulum in Canonicatibus et prebendis, dignitatibus, personatibus, administrationibus et officiis ad instar aliarum ecclesiarum Cathedralium illis vicinarum instituerentur. Quare pro parte eiusdem Marchionis, asserentis prefatas Civitates eius temporali dominio subesse, nobis fuit humiliter supplicatum, ut super hiis oportune providere de benignitate apostolica dignaremur. Nos igitur, qui cultum huiusmodi vigere et augeri ad christi fidelium salutem intensis desideriis affectamus ac de premissis certam noticiam non habemus, huiusmodi supplicationibus inclinati, vobis mandamus, quatinus si est ita, super quo tuam conscientiam oneramus, in dictis ecclesiis prefatum ordinem supprimere et extinguere, ac in eis Capitulum Canonicatus et prebendas, dignitates, personatus, administrationes, officia ceteraque beneficia ecclesiastica nec non mensas Capitulares ad instar et similitudinem aliarum ecclesiarum secularium vicinarum creare et instituire nec non circa ipsarum Brandenburgensis et Avelbergensis ecclesiarum illarumque Canonicorum et personarum in divinorum celebratione ac omnibus aliis tam spiritualibus quam temporalibus regimen, gubernationem et modum vivendi quecumque utilia statuta et ordinationes edere et facere ac omnes et singulos fratres seu personas ordinis et Brandenburgensis et Havelbergensis huiusmodi ad beate Marie Virginis in monte prope antiquam civitatem Brandenburgensem, in quo regularis observantia viget, vel ad aliam, ecclesiam, quam idem Marchio in loco Wilfchenach Havelbergensis Diocesis fundari facere proponit, postquam fundata fuerint, transferre et inibi in fratres recipi facere, seu quod cedentibus vel decedentibus dictis fratribus, aut eorum aliquo cedente vel decedente seu alias ipsorum loca in eisdem ecclesiis dimittentibus vel dimittente loco sic cedentium vel decedentium aut cedentis seu loca huiusmodi dimittentium vel dimittentis persone seculares ecclesiastice surrogentur seu alias quecumque et qualiacumque, per que presentium effectus in ecclesiarum diuini cultus augmento et fratrum eorundem animarum salute facilius subsequatur statuere

et ordinare, nec non ea ac omnia alia et singula in premisis et circa ea quomodolibet oportuna facere et exequi auctoritate nostra procures. Nos enim si premissa omnia et singula per te vigore presentium fieri contigerit, tibi Canonicatus et prebendas dignitates etiam post pontificalem maiores, personatus, administrationes officia et beneficia personis, quas dictus Fredericus Marchio ad id duxerit nominandas, etiam unum, duo, tria, et plura alia beneficia ecclesiastica cum cura vel sine cura obtinentibus et expectantibus cum omnibus iuribus et pertinentiis suis auctoritate apostolica conferendi et de illis providendi, inducendi quoque per te vel alium seu alios dictas personas, quibus collationes huiusmodi feceris vel procuratores suos earum nominibus in corporalem possessionem Canonicatum et prebendarum ac dignitatum, personatum, administrationum, officiorum et beneficiorum sibi collatorum iuriumque et pertinentiarum predictorum et defendendi inductos, amotis quibuscumque illicitis detentoribus ab eisdem, ac faciendi ipsas personas, quibus collationes easdem feceris vel dictos procuratores, pro eis ad prebendas in dictis ecclesiis in Canonicos recipi et in fratres, stallo sibi in Choro et loco in Capitulo ipsarum ecclesiarum cum dicti iuris plenitudine assignatis, nec non ad dignitates, personatus, administrationes, officia et beneficia eis collata huiusmodi ut est moris admitti sibi de illorum fructibus, redditibus, proventibus, iuribus et obventionibus universis integre responderi, Contradictores quoque auctoritate nostra appellatione postposita compescendi aliaque omnia et singula desuper necessaria et quomodolibet oportuna peragendi, faciendi, disponendi, decernendi et exequendi, plenam et liberam tenore presentium concedimus facultatem, Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis nec non ecclesiarum et ordinum predictorum iuramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis et consuetudinibus contrariis quibuscumque, Aut si venerabilibus fratribus nostris Brandenburgensi et Havelbergensi Episcopis vel quibusvis aliis communiter vel divisim ab eadem sede indultum existat, quod ad receptionem vel provisionem alicuius minime teneantur et ad id compelli, aut quod interdicti, suspensi vel excommunicari non possent, quodque de huiusmodi vel aliis beneficiis ecclesiasticis ad eorum collationem, provisionem, presentationem seu quamvis aliam dispositionem communiter vel separatim spectantibus nulli valeat provideri per litteras apostolicas, non facientes plenam et expressam de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem et qualicumque alia dicte sedis indulgentia generali vel speciali cuiuscumque tenoris existat etc. Aut si eedem persone quibus collationes predictas feceris presentes non fuerint ad prestandum de observandis statutis et consuetudinibus Brandenburgensis et Havelbergensis ecclesiarum prefatarum solita iuramenta, dummodo in absentia sua per procuratores idoneos et cum ad ecclesias ipsas accesserint corporaliter illa presentent. Volumus autem quod de personarum quibus collationes huiusmodi feceris nec non Canonicatum ac prebendarum et dignitatum, personatum administrationum officiorum et beneficiorum eorundem nominibus gerentes Camere Apostolice debitorum in illis partibus pro tempore deputatos quantocius certificare procuretis, Et insuper ex nunc irritum decernimus et inane etc. Datum Rome apud Sanctum Petrum, Anno vero millesimo quadringentesimo quadagesimo\*), Nonis Februarii, Pontificatus nostri Anno primo.

Nach einer Abschrift aus dem Vaticanischen Geh. Archive Ann. I. p. 27, T. IV.

\*) Hier ist ein Raum leer gelassen welcher wahrscheinlich mit septimo auszufüllen ist.